

7+8/80

KALENDIS AVGVSTIS

MCMLXXX



RVMOR VARIVS



# RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE  
LATINA TVRICENSI in ae-  
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS series in  
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis :  
(annuum)

In Helvetia	Fr. 8.80
In Germania	DM 16.--
In Austria	8S 120.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 18.--

Singula specimina, qui  
rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum :

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulricus Aeschlimann  
Patricius Hardmeier  
Martinus Meier

Impressum et dispositionem  
rerum legentibus publican-  
darum curat :

Patricius Hardmeier

Typographaeum :

Copy Quick, Turicum

Epistulae, mandata mittenda  
sunt ad domum editoriam :

RVMOR VARIVS  
Postfach 883  
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium :

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-631'783.3

RVMOR VARIVS wird von der  
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS  
unter dem Patronat der AKAD  
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal  
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis :  
(jährlich)

Schweiz	Fr. 8.80
Deutschland	DM 16.--
Oesterreich	8S 120.--
Übriges Europa	Fr. 18.--

Einzelne Probenummern können  
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam :

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulrich Aeschlimann  
Patrick Hardmeier  
Martin Meier

Graphik und Layout :

Patrick Hardmeier

Druck :

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse :

RVMOR VARIVS  
Postfach 883  
CH-8050 Zürich

Bankverbindungen :

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-631'783.3

# PRÆFATIO

Ulricus Aeschlimann omnibus vestrum salu-  
tem dicit!

Si valetis, bene est, ego valeo.

Nuper epistulam a Prof.re Clausdieter  
Schott scriptam accepimus. Is instituto  
ad Universitatem Turicensem pertinenti,  
cui nomen est "Forschungsstelle für Rechts-  
geschichte", praepositus illa epistula  
scripsit nobis se in secunda pagina nostri  
libelli (ubi condiciones, quibus RVMOR VA-  
RIVS editur, indicatae sunt) invenisse  
verbum forma mira, adhuc inusitata "Turi-  
censi" scriptum. Recte autem nobis de-  
monstravit nos verbo hoc modo scripto lap-  
sum contra leges artis grammaticae commi-  
sisse!

Gratias agimus Prof.ri Schott, viro doctis-  
simo et iuris legumque peritissimo, quod  
nobis scripsit! Ceterum a legentibus illius  
mendi veniam petimus. Hoc libello verbum  
recta forma scriptum "Turicensi" invenitis!  
Vobis illam epistulam, quam Dr. Emanuel  
Bernard in sermonem Latinum vertit in pa-  
ginis subsequentibus ante oculos ponemus,  
quod ex illâ legendâ vos quoque voluptatem  
esse capturos speramus.

Ibidem duas ratas partes a Martino Meier  
compositas invenietis: Altera de Don Bosco  
agit viro consecrato, qui saeculo XIX. vi-  
xit; altera verbis aliquantum mordacibus  
cogitationes nostras ad mirum studium di-  
rigit, quo quidam homines corpora sua in-  
firma firmiora reddere cupiant. Sit vobis  
utraque fabula iucunda lectu!

Denique vobis indico fabulam a Dr. J. Bleiker in superiore libello de illecebris inscriptionum scriptam hoc in libello porro tractari. Continet solutionem aenigmatis, quam nobis auctor inveniendam proposuit.

Series, quam Patricius Hardmeier de legibus XII tabularum nuper divulgare coepit, hoc in libello intermittitur. Auctor huius seriei enim his diebus strenue laborat, ut temperatio nostri libelli reficiatur. Qua de causa tempus scribendi ei deest. Illo autem officio perfunctus commentarios de legibus XII tabularum scribere continuabit!

Sint vobis omnibus menses autumnales felices! Valete!

Ulricus Aeschlimann redactor.

1	2	3	4
2			
3			
4			

1. corona rerum naturae appellatur
2. precaris
3. deus Romanus
4. quae hominum reliqua sunt post saecula

▶ Hoc aenigma composuit DANIEL WEISSMANN

Turici, a.d. III id. Maias MCMLXXX

Scotus redactoribus RVMORIS VARIII salutem dicit optimam!

Saepenumero e legendis commentariis periodicis vestris magnam me capere voluptatem confiteor. Cum autem officii mei causam infimae praecipue et mediae Latinitati studere cogar, oro vos, ut ignorantiae meae veterum scriptorum et aureae Latinitatis indulgentes haec interroganti mihi ignoscatis:

Editores RVMORIS VARIII in impresso "Societatem Latinam Turicensem" se nominant, Turicum indicantes ut locum domus editoriae. Nihil quidem obicere habeo substantivo "Turicum", quamvis aliae quoque formae, ut "T(h)uregum" (inde ab anno DCCCXX) occurrant saepiusque sint usurpatae. "Turicum" sane urbis nomini, quod secundo primum saeculo memoratur, respondet, quamquam non nisi pro adiectivo traditum esse constat.

Inde ad argumentum huius epistulae accedo: Forma adiectivi "Turicensis" mihi plane est ignota, neque tamen formam illam secundum doctrinam philologorum rectam esse negem. Antiquissima autem inscriptio, quae in cippo Romano saeculi secundi invenitur, haec est: "praepositus stationi Turicensi", qua forma deinde adiectivum usitatum manet. A saeculo nono usque ad duodecimum hae formae usu veniunt: Turicinus, Turegius, Turicensis, Turegius, Turegensis, Turegiensis.

Formas barbaras ut "Zurihgauge" aliasque similes afferre supersedeo. Inde a saeculo duodecimo nulla alia forma invenitur nisi antiquior adiectiva, ut versiones sigillorum Consilii sive Civium ab anno MCCXXV "Sigillum Consilii Thuricensium" et "Sigillum Civium Thuricensium" monstrant (cf. Anton Largiadèr, Die Entwicklung des Zürcher Siegels in "Zürcher Taschenbuch auf das Jahr 1942, p. 1 et s., editio 1941). Eadem formā nummi Turicenses cuduntur.

Omnes ergo formas adiectivi nominis, quae excogitari possunt, usu venisse statuo praeter formam "Turiciensis". Quapropter venerabiles doctosque viros expertos interrogabo: Utrum fuerunt tam barbari maiores nostri, ut lapsus stili quam plurimos potuerint facere, at ipsam formam rectam ignoraverint, an nos viri docti volatu sublimi interdum construimus formas, nulla ratione habita, utrum exstiterint umquam necne?

Expectans, ut meliora me doceatis, salutem  
Vobis mitto optimam

Scotus Vester

## DE PAVCIS DIEBUS LVTETIAE PARISIORVM ACTIS

### PORRO TRACTATVR

Nomen Francogallicum "Dôme des Invalides" ignoro, quomodo Latine dicam, cum ex duabus constet partibus, quarum neutra Latine sit facilis dictu. Etenim "Dôme" neque est domus Romana neque ecclesia, sed aliquid Romanis ignotum, et "Invalides" potuerit forsitan Latine reddi vocibus his: "Viri aetate vel militiā confecti", sed quam barbare sonet composita versio haec: "Domus vel ecclesia virorum aetate vel militiā confectorum". Itaque omnino praetermitto in sermonem Latinum vertere nomina locorum, monumentorum rerumque ceterarum, quae Francogallice dicta ab omnibus vestrum facile intelleguntur, Latine autem obscura essent. "Montmartre", ut exemplum dem, regionem esse urbis Lutetiae in colle sitam leniter ascendente, quis ignoret? Neque cuiquam ignotum erit ibi posse reperiri theatra, ludos scaenicos, pantomimos, spectacula multa, cauponas aliaque plurima, quibus viatorum multitudo vespere nocteque oblectetur.

Ergo nobis quoque unam noctem in illa regione degere in animo erat curiosus, num loci fama rei sit par, profectique sub horam undecimam post meridiem delectationem quaesivimus, quae parvo pretio emi posset. At o sanctam simplicitatem! Nihil, ne minimum quidem, nobis inventum est, quod satisfaceret, sive quod, ut opinor, aetate iam nimis proveci sumus, sive quod loca vere delectantia dignaque visu profecto non exstant, sive quod fessiores fuerimus, ut quicquam iam gaudio nobis posset esse.

In platea, quae "Pigalle" vocatur, turba ingens obviam facta est ambulantium, voluptatem sine dubio et oblectamentum quaerentium, iuvenum imprimis et certo non indigenarum, sed peregrinorum, viatorum e terris alienis, qui Lutetiam nimirum venerunt spe adducti ibi multo potius quam domi fabulosa se experiri posse. Quam puerilitatem! Delusi plerumque, spe deiecti, multā pecuniā nequiquam expensā, domum revertentur. Etenim Lutetia, ingens illa metropolis, neque est paradisus neque sedes beatorum, sed potius arenae similis, id est loco, ubi dure et crudeliter de vita sustentanda pugnetur armis illis insidiosis acribusque commercii saeculi nostri. Ne in errorem inducamur nominibus splendidis! Nomina saepius fallacia quam veracia sunt.

Exempli gratiā: "Champs-Élysées", qui Latine sunt campi Elysii, via quidem est magnifice exstructa, at mehercle! Elysium, id est sedem beatorum eam vocare cuncter. Elysium aliter ego quidem fingam. Parisii non minus quam nos, fortasse etiam magis quam nos non gaudium peregrinorum praecipue, sed saccum suum curant.

Quod factum brevi tempore experti, post mediam noctem tandem, taedio capti, in cauponam quandam, multa luce electrica radiantem, deversi requievimus, me vinum bibente, uxore florem lactis gelatum sorbente, et non ita multo post, somnus, qui unus est hominibus vere deus, invitavit ad petendum deversorium nostrum. Pedibus tum ibamus per semiobscuras, nocte iam et quiete immersas vias horam parvam, nullo alio desiderio permoti nisi, ut molli lecto fruere.

Iovis die autem, qui erat posterus, museum, ubi tabulae Dallī pictoris expositae sunt, multo mane petivimus curiosi, utrum re vera spectaculum ibi offeratur visu dignum necne. Quid nunc dicam? Qua de re narrare incipiam? Incipiam ab aedificio illo "Centre Pompidou" appellato! Appropinquantibus iam illas aedes obstipuimus recentissimā arte constructas. Quam architecturam, tamquam e somnio fabuloso sumptam, numquam antea visam! Aedificium non muris, sed chalybe vitroque exstructum neque intra, sed extra ascendendum est ingentibus tubis vitreis, neque gradibus, sed scalis currentibus. Omnino tibi dicam, mi Cicero, domum illam esse descriptu difficillimam, quippe quod vos, Romani, simile quicquam plane ignoratis. Mente finge, quae te appropinquantem procul iam videre tubos vitreos ingentes et multicolores, obliquo ascendentes in modum cochleae domūs, usque ad altitudinem summi aedificii! Finge illam esse domum neque domūs habere ad spectum extrinsecus quidem spectanti! Mente finge, mi Cicero, milibus duobus annorum post te natum homines futuros esse, qui arcana naturae viresque invenerint, quas tu ne in somniis quidem videre potueris! Licet mente fingas, quodcumque velis, coniecturā non assequēris. Desperans igitur de te, civibus meis narrare pergā:

Intrantibus nobis iam apertum erat et tempus et vires nos deficere ad omnia, quae exposita sunt, spectanda. Nimia sunt, nimis varia. Itaque satis habere constituimus, ut tabulas Dallī pictoris viseremus, quae visentium oculis in tabulato quarto praebentur.

Quid nunc dicam? Magna verba facere mihi alienum est. Illud Horatii: "Nil admirari" propositum est iamdudum. At istius pictoris tabulae aciem oculorum mihi animumque ita perstrinxerunt, ut nihil me umquam antea magnificentius vidisse non verear confiteri.

Quantam artem! Quantam imaginationem!  
Quantam pingendi audaciam!

Quam beatus debet esse artifex (ita mecum loquebar), qui totum animum suum, omniaque, quae sentiat, pingendo exprimere possit audeatque! Ab illis demum tabulis visis quam pauperes nos omnes simus, qui, quae nos commoveant, arte exprimere nequeamus, penitus intellego. Memini Horatii, qui monet: "sapere aude!" At, pro Iuppiter! sapere aude cuiuslibet hominis non est, vel, ut aliud verbum citem: "Non cuivis homini contingit adire Corinthum", id est: non omnes possunt homines optima adipisci, sed pauci.

Dall pictoris tabulae inspectae, animos nostros adeo commoverant viresque consumpserant, ut iam nihil ultra visere possemus proximamque cauponam peteremus ad famem sitimque explendas.

Francogallorum populus imprimis urbanus et humanus dicitur esse, meo quidem iudicio iniuriā. Aperte dico nusquam terrarum me tam pauca urbanitate esse tractatum quam in Gallia. Puer cauponius, ut exemplo utar, cuius officium erat nimirum ministrare nobis ut hospitibus, primo ne appropinquare quidem voluit nobis mediam iam horam cenare cupientibus. Tum maiore voce impatienter vocanti mihi signum fecit displicere sibi hospites, qui se advocarent. Mirā socordiā

cenae ipsius accumbens nihil nos curabat. Tum vero praefectum cauponae advocavi. Qui advenit tandem interrogans, quid desiderarem. "Cenare, inquam, desidero, at nemo nobis administrat." - "Doleo, inquit, at hāc horā coquus abest, coquilina vacat, quaerite, quaeso, aliam cauponam!"

Quod exemplum deficientis urbanitatis Francogallorum si unicum esset nihil quererem. Sed plura, non minus speciosa, afferre possum afferamque, si licebit, RVMORE VARIO proximo. Quae enim istius generis mense Aprilis in Gallia meridionali, in provincia Narbonensi, ut Latine loquar, expertus sim, fidem vestram superabit.

Cari legentes, curate, ut valeatis!

Dr. Emanuel Bernard

#### S O L V T I O N E S

\*\*\*\*\*

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium:  
Daniel Weissmann  
Tellstr. 30  
3014 BERN

secundum praemium:  
Ida v. Matt  
Schimmelstr. 17  
8003 ZUERICH

tertium praemium:  
Max Müller-de Vries  
Zürcherstrasse 10  
4143 DORNACH

S
I
C
N
O
T
V
S
V
L
I
X
E
S

QVO PRAEMIUM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA  
RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SOR-  
TEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA IDIBVS SEPTEM-  
BRIBVS MCMLXXX EST!

PRAEMIA SVNT : primum praemium: LIBER  
secundum praemium : LIBELLVS  
tertium praemium : LIBELLVS


a d l i b r a m :

1. comparatio et respectus unius rei ad aliam
5. instrumentum rusticum, quo agri laborantur
9. "Ut unum ..." rogavit Christus
10. instrumentum fabrile et tundendum
12. cornu
13. "Et ..., mi fili Brute!"
14. corona parva
17. pars navis
21. homo odiens
22. arma sagittarii
24. parvum signum, quod tecto aedis affigitur

a d p e r p e n d i c u l u m :

1. facit et vendit remedia unguentaque
2. "... et labora!" ait Benedictus Nursia
3. oppidum, ubi Ovidius exulabat
4. oratio paucis verbis habita (acc.)
6. accusata
7. ..., sustuli, sublatum
8. ex ... esse= commodo esse
11. philosophorum domus, domicilium, schola
15. honos habet ... (proverbium)
16. controversia in iure peracta
18. "... tenebras lux"
19. praeteri! (per notam)
20. initio, in principio
23. 2

# Aenigma



# DE VITA IOHANNIS BOSCI

Cum - triste dictu - plerique homines hodiernae aetatis vel negent esse Deum vel hominibus deesse neque humana curare, egomet vobis de viro, qui adiuvante Deo faciebat, quae mirabilia putamus, multa, referam. Nec ille temporibus pristinis ac antiquitate rerum velatis, sed saeculo p. Chr. n. XIX., quo ratio humana aliter religionem sinceram vicisse videbatur, vixit. Loquar igitur de Iohanne Bosco (Don Giovanni Bosco), Dei sacerdote, qui legibus Christianis oboediens sui oblitus miserimo cuique vitam sacrificavit.

Natus est anno eodem, quo congressum Vindobonae saltavisse aestimamus, anno igitur MDCCCXV p. Chr. n. Iam IX annos natus somnio quodam a Maria, matre Dei, admonitus, ut sacerdotio se dederet, quamvis miseria summa et paupertate crudelissima vexarentur parentes, scholis peractis sacerdos factus est.

Tum olim iter Augustam Taurinorum faciens urbium magnarum miseriam et iuventutis pravitatem ipsius oculis conspexit. Certe sunt, qui talia cernentes humanam societatem revolvendam censeant et magna voce vel "Ad armas, cives!" vel "Omnium terrarum proletarii, consociate vos!" exclament. Non ita Iohannes Boscus egit. Convocatis pueris miseris domos aedificare et nutrimenta afferri iussit. Scholas fundavit, ut educarentur liberi in spiritu Domini omnipotentis. Cum sibi auxilio occurrentibus multis seu clericis seu laicis ordinem Sancti Francisci Salesiani condidit.

At ecclesiae principes, velut cardinales et episcopi, obstacula intulerunt novo multa ordini, quia quam si advocati diaboli facti essent divinum esse Bosci opus negaverunt. Maesto corde, sed plenus fidei in Deum Mariamque, quam auxiliatricem hominum nominabat, Romam profectus est, ut, si opus foret, papae ipsi persuaderet divina quadam institutione factum esse ordinem suum. Pius IX., qui illis temporibus salutis Christianorum serviebat, Iohanni familiarissime accepto "Si tibi contigerit", inquit, "ut propitios reddas cardinales erga tuum ordinem, libenter approbabo."

Sic Iohannes timoris omnino expertus cardinalem infestissimum quemque visitavit. Illorum principum ecclesiae nonnulli morbis affecti papae obviam eundi ibique pro novo ordine disserendi potentes non erant. Quibus Boscus sanatos eos fore promisit, si Mariae confidentes sine ulla mora ordinis approbandi causa postridie ad papam ituri fuerint. Stupebant primum, denique autem, cum se ituros polliciti essent, morbo plane liberabantur! Ideo Kal. Mart. anni MDCCCLXIX p. Chr. n. ordo Sancti Francisci Salesiani a papa sollemniter approbatus est.

Et permulti ceterorum hominum simili modo sanati sunt. A. d. V. Nonas Maias anni MDCCC LXIII p. Chr. n. Bosco Caramagnae, in vico quodam Italiae septentrionalis, praedicanti anus clauda pede utroque ac procedendi vix potens obviam serpsit. Interrogata a Sancto, quid vellet, eum sibi benedictionem dare se cupere dixit. Tum Boscus: "Habesne fidem in Mariam?" - "Maximam!" - "In genua ergo procumbito!" - "Heus, Iohannes, nequeo nimis invalida!" - "Conare tamen!" Ecce sanata est mulier et gaudii lacrimis magna voce Deum



laudavit. Haec acta sunt circumstante magna hominum multitudine nec inventa sunt ab hagiographo nescio quo.

Alio tempore et mortuum in vitam revocavit Iohannes Boscus Deo auctore et Maria auxiliatrice. Iuvenis quidam in summis peccatis obierat. Moriens quidem, ut veniret Boscus, valde flagitaverat, sed afuerat Sanctus. Duobus diebus post itinere peracto redit, sepulchrum intrat, praesentes dimittit omnes mortuumque revocat. Ille se sola Mariae gratia nondum damnatum esse omnibus narrat; dimissi enim interea obscuram cameram rursus impleverant. Confessus et a Bosco interrogatus, utrum in terra an in caelis vivere mallet, se beatitudinem sempiternam anteponeere locutus iterum defunctus est.

Multa et alia mirabilia sic a Deo facta per Iohannem, eius servum fidissimum. Pauca enim, quae legentes audituri estis, vobis narraui, ut Deum et hodie vivum esse cernatis neve falsae et pravae superstitionis esse, ut aiunt Christianorum nonnulli, Sanctos colere credatis.

Iohannes Boscus, cum anno MDCCCLXXXVIII p. Chr. n. animam ad superog mitteret, reliquit domos CC impletas CC pueris. Hodie ordinis domicilia super orbem terrarum totum effusa sunt MCDXLVI. Divina nisi fuisset huius operis origo, iam pridem interea deletum esset.

Omnia vertantur, stat crux, dum volvitur orbis !

Martinus Meier

QVO MODO HOMINES SE EXERCENDI CAVSA EXSEC-  
RANTES ET SVDANTES PER SILVAS ERRENT

Cum cottidie fere per octo horas ad mensam quandam sedeat vir epulisque domi quam uberrimis perpetuo faucibus cupidissimis devoratis ventrem paulatim augeat nec ita quibus placere studet feminis amoenum praebeat aspectum, exercenda esse censet membra. Alii alia agunt: sunt, qui pilam corio factam et aere conflatam ictibus pedum tractent; alii baculo capto altitudines ingentes supersiliunt, tertii autem omnibus moribus bonis abiectis quasi mente capti per silvas errare solent, quam si summā saevitiā apium turba eos persequeretur. De quibus nunc loquar:



Veris aliquo sabbato post meridiem prope oppidulum miris induti vestimentis homines impatienter expectare nescio quam rem videntur. Subito signo dato currere incipiunt, quam si tubae caelestes diem ultimum indixissent vel quaedam taberna maxima gratis omnia sua venderet. Neque vero taliter currentes sunt cupidi salutem capiendi nec alimenta emendi, sed eis probandum est, quis eorum silvam, quae ante eos sita est, celerrimus percurrat inveniens interim loca in charta inscripta. Silva antea quieti dedita ac placida proeliis plane carens atrocibus iam ululatibus clamoribusque lamentabilibus refercitur. "Heus me miserum! Chartam amisi!" - "Adeste, immortales, silvae exitum reperire non iam possum!" "Vae mihi, spinae pedes laceraverunt!" - "Perii, hercle, sciurus me momordit!" - "Quo me ver-

tam? Hic iam quater eram!" - "Aëra! Aëra! Turo me numquam iam participem fore!" Sic lamentantur et lacrimant, ut bestiae ferae silva relicta domicilia alia petant. At inter arbustos arboresque pergitur pugnare, proeliari, perplexari. Tum Iuppiter sudantium et sole terribili modo laborantium miseretur imbremque non nimis frigidum et corpora animosque miserorum bene tractantem alto de caelo mittit. Nec sunt grati currentes; immo maledicunt patri hominumque deumque! Ille: "Vae tibi, Prometheus genus falsissimum!" cogitans vias tam palustres reddit, ut haereant nec possint vertere pedes. Ceterum limo luteoque tanto afficiuntur, ut Hercules, si forte per eandem silvam iisset, esse putaturus fuerit non solum unum, sed complures Erymanthicos apros.

Vesperi denique paene omnes e silva regrediuntur fessi, sordidi, exhausti. Nonnullos quidem et hodie invenies exsecrantes et laborum finem quaerentes, quibus Iuppiter ira inflammatus nullum nisi mortem exitum ostendet. Ceteri autem felices ad penates redeunt laudantque pulchritudinem et tranquillitatem silvarum nec negant se iam proximo sabbato iterum per silvam cursuros!

M.M.

## INSCRIPTIONVM ILLECEBRAE (PARS II)



Promissum meum praestans, amici, vobis solutionem inscriptionis photographice reditae praebebo. Tamen cognoscere cuperem, quid ipsi cogitaveritis. Sine ullo dubio recordati estis legionem vicesimam primam per nonnullos annos Vindonissam insedissee; cum pleraeque eius regionis inscriptiones vitae militari coniunctae sint, num mirabimini istum numerum inveniri?

Bene legi potest verbum APIS. Hōc verbo designatur taurus sacer Aegyptiorum, numen tauriforme; Vindonissa nimirum ab Aegypto aliquantulum distat. Milites autem illius temporibus totum fere globum viderant, itineribus maximis plura loca viserant quam nos, qui facile huc et illuc vehi possimus. Fortasse milites eius legionis fidem in deis novis posuerunt, antiquis numinibus Romanis defatigati.

SEL - primo cognosci non potest, utrum totum verbum an partem tantum longioris verbi ante oculos habeamus. Tamen autem nobis in mentem cadit "Selene": dea lunae. Et reapse tempulum Selenis in vicinitate inventum est. Certe scimus milites solitos esse quam plurimos deos invocare, ut ab omnibus periculis quam optimis adiutoribus servarentur.

Quid est LAC? Lacus? Estne deus lacūs vel aquas regnans simili modo ac Neptunus (cuius "petra Neptuni" vel "pierre du Niton" omnibus nota est)? Fortasse miles erat, qui stipendia meruit in cohorte pontificum ("Pontoniere")? Et ille miles vel illa cohors (iam illo tempore, mehercule!) nocturnis (Sel!) exercitiis cruciabatur a tauro ("Büffel", Feldweibel). Sed mens mea mihi vagari videtur.

HE saepius invenies seriem litterarum "he(redem)" vel "he(redes)" designantem. Mortuus est miles aliquis XXI legionis, cum natavisset, et fortasse sodales monumentum ei posuerunt. Sodales optimi certe erant.

NT nihil aliud esse videtur quam finis verbi tertiae personae pluralis (ut "curant, videant").

VT indicat comparationem aut desiderium.

VOL initium verbi "vol"untatis indicat.

Quid? Heredes velle militem mori? Num in lacu, cum luna plena esset, mortuus est, ut voluerant heredes. An APIS vel taurus non numen Aegyptum, sed cognomen erat illius militis?

Aenigma aenigmatum!

Vir doctissimus, inscriptionum peritissimus, cum lapis modo excavatus ei monstratus esset, doctis paginis aenigma explicare studuit. Tamen nobis non persuasit.

Ne umquam obliviscamini inscriptiones nos delectare. Nobis gaudio sint! Si desperaverimus paulum rideamus, haud ignari ridendi facultate imprimis hominem differre a ceteris animalibus. Aut, ut Germani Austriam inhabitantes dicere solent:

A PISSEL LACHEN TVT VOL !

Dr. Jürg Bleiker

F A B V L A P A R V A I O C O S A

Aquinci <sup>1)</sup> olim vir in Americam emigraturus <sup>2)</sup> praefecturam intravit orans, ut syngraphus sibi daretur. Ibi cum magistratu, cui praefectura morum et cura publicae securitatis delatae erant, sermonem habuit, quem infra legatis:

Magistratus: "Cur emigrare vis? Displicetne tibi haec tua patria?"

Emigraturus: "Queri non possum."

M.: "Num minorem fructum percipiebas ex officio, quod sequabaris, quam tibi opus fuisset?"

E.: "Queri non possum."

M.: "Num quis tibi maledixerit?"

E.: "Queri non possum."

M.: "Per deos immortales! Cur denique, cum non habeas, de quo queraris, emigraturus es in Americam?"

E.: "Quia ilico queri potero."

- 1) Aquincum, -i, n.      Budapest  
 2) syngraphus, -i, n.      Reisepass      U. Ae.

SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
 (ich bestelle RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
 DONO DATVM ALICVI

Factura subnotationis mit-  
 tendae est ad adressam infra  
 stantem.


(ich bestelle RVMOR VARIVS für  
 mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS  
 Postfach 883

CH-8050 Zürich

HIC SOLVTIONEM INSCRIBE  
 ET CHARTAM MITTE !

DOMICILIVM MEVM :



RVMOR VARIVS  
 Postfach 883

CH-8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

7+8/80

KALENDIS AVGVSTIS

MCMLXXX



RV MOR VARIVS

